



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XIV. Quod nullus ad ecclesiastica beneficia est admittendus, nisi sit electus, & quod filii personarum citra sacros ordines constitutarum, parentibus in ecclesiasticis succedere possunt, si tamen ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1179.

cognoscere, sed referri, quoties quæ inciderint, ad sedem apostolicam oportebit.

CAP. XIII. *Eboracensi archiepiscopo.*

In eminenti specula ecclesiæ, licet immeriti, disponente Domino constituti, intendere debemus consultationibus singulorum: & prout Deus nobis reuelauerit, propositas enodare. Consulisti autem, si causa, appellatione remota, commissa, altera partium ante citationem vel post citationem, ante sententiam vel post sententiam, ad sedem apostolicam appellauerit, an appellationi sit in huiusmodi deferendum. Præterea si causa fuerit, appellatione remota, commissa, & alter aduersariorum appellet, quia delegatus iudex non vult super suggestionem falsi probationes admittere contra Cantuariensis literas impetratas, an in hoc casu teneat appellatio, quæsiuisti. Dubitas etiam, si duobus fuerit causa commissa, appellatione remota, & alter suo coniudici vices suas commiserit, an ille solus possit procedere appellatione remota, vel ab eo liceat appellare, cum in fine non sit appositum, vt si vterque nequiuert interesse, vnus procedat. Primæ ergo quæstioni respondemus, quod causa, appellatione remota, commissa, appellationi non debet deferri, siue ante citationem, siue post, siue ante sententiam, siue post, fuerit appellatum: nisi appellans, priusquam citaretur, iter arripuisset ad sedem apostolicam veniendi. Quod autem quæsiuisti, si aliquis appellauerit, quia delegatus iudex super suggestionem falsi audire probationes recusat, an appellatio teneat, hoc tuam volumus discretionem tenere, quod in eo casu debet appellationi deferri. Ab vno vero iudicium, appellatione remota, in causa procedi non potest, nisi hoc speciale in literis commissoriis exprimat.

CAP. XIV. *Lucius tertius.*

Quoniam ex plenitudine potestatis, &c. *Et infra*: Consulere decreuisti, de quibus personis intelligendum sit, vnã alteri in ecclesiasticis beneficiis succedere non debere: vtrum, scilicet, de sacerdotibus & eorum filiis duntaxat, an & de aliis quibusdam personis. Noueritis ergo quod ad ecclesiastica beneficia nullum secundum Cano-

nes admittendum credimus, nisi ex electione canonica vocatum. Sacerdotum vero filios, & maxime in sacerdotio genitos, his temporibus suis succedere parentibus, quarumlibet regionum consuetudo & in donis ciuilibus prohibet, & Canones in ecclesiasticis multo fortius prohibent & execrantur. Personarum quoque filios citra sacros ordines constitutarum plerumque, si tamen merita suffragantur, parentibus suis succedere conuiuentibus oculis toleramus. Exemplo namque perniciosum est & graue, talia in ecclesia pullulare, per quæ & laicis scandalum generetur. Sane tam has personas, quam illas, ab aliis non repellimus beneficiis, si digni inueniantur.

CAP. XV.

*Alexander tertius abbatibus Cisterciensibus in capitulo
Cisterciensi congregatis.*

Ista. 5.

Philipp. 4.

Recolentes qualiter hæc plantatio sancta, hæc vitis fructifera, hæc denique vinea Domini fabaoth, sub primis ordinis patribus pullulauit, &c. *Et infra*: Nunc autem aliqui ex vobis pristinae institutionis obliti penitus vel ignari, contra ordinis vestri gloriam & decorem, villas, molendina, ecclesias & altaria possident, fidelitates & hominia suscipiunt, rusticos & tributarios tenent: & omne studium adhibent, vt termini eorum dilatentur, quorum conuersatio esse debebat in caelis. Læditur hinc ordo penitus & mutatur, &c. *Et infra*: Ideoque sanctum & venerabile collegium vestrum precibus & monitis, quibus possumus, exhortamur, quatenus domus illæ quæ a prima sui origine in ordine vestro sunt fundatæ, constitutis & ordinatis terminis sint contentæ: nec velint ad ea manus extendere, quæ sine laboribus & periculis multis, & demum sine ordinis magna confusione minime poterunt retinere. Si enim relictis originalibus ordinis statutis, ad communionem volueritis aliorum monasteriorum viam diuertere, oportebit & vos communi iure censerî: quia dignum est vt qui similem cum aliis suscipiunt vitam, similem sentiant in legibus disciplinam. Quoniam domus illæ, quæ de aliis institutionibus ad vestrum se ordinem transtulerunt, vestris omnino satagunt vsibus conformari, vt relictis videlicet possessionibus vel mutatis, quas vestra institutio non recipit,

sic